Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26345
Copyright: Admont, Benediktinerstift

domni abbatis superius sedent. deinde in dextra eius parte. Postea reuer-
tens ad eos qui super scabellum sedent. eundem ordinem seruat. Quo
facto. iterum ueniam petit. iubetur exire ad se induendum. Comi-
tatur eum solus kamerarius. Indutus et calciatus reuertitur. et iterum
ueniam petit. iubetur ut ultimus sedeat. Extunc ultimus est omnium
in omni loco. Siue sit litteratus siue non. semper ad parietem est ultimus in
choro. super scabellum in capitulo. ad mediam mensam in refectorio. In-
terim non communicat. sic etiam nullus ex quacumque culpa sit ultimus.
Non uenit ad pacem. non osculatur textum euangelii. In ecclesia nec ad
lectionem nec ad cantum notatur. ad coquinam tantum seruit. et ad
mandatum fratrum. utriusque pauperum non tamen in loco sacerdotis.
De cetero nulla obedientia interim illi iniungitur. Post singulas horas
ueniam super genua petit. nec tamen propter hoc se ad altare uertit.
Numquam albam induit. nisi processio in albis agenda sit. Quando
autem est sine alba in choro. a pariete per nullo alba uel cappa in-
dutio interim dimouetur. Hec singula cuilibet quacumque ex causa
in ultimis posito sunt obseruanda. excepta quod predictum uenia
post horas petenda. quod proprie huic de quo agitur est ascripta. In processu
ne temporis aliquis seniores humiliter rogat. sed tamen absque uenia.
ut intercedant pro eo. Numquam enim aliquis in conuentu neque in ipso
capitulo huiusmodi intercessionem cum uenia querit. Idem autem seniores
cum primum potuerunt. pro eius omnimoda solutione deprecari non
differunt. si tamen eum intimam penitentiam prospexerunt. Nam propter
tales excessus in usu habentur. non tam cito ut soluatur domno abbati
aliquando suggeritur. Ad quorum postulationem predictus pater solet
respondere. prout penitentis qualitatem nouit exigere. Nam talis
potest esse que ad primum capitulum restituat in pristinum locum. et
talis cui id fieri non diu salubre esse decernat. Hec autem intercessio